Historia Societatis Jesu.

Vitelleschi (Mutii): Epistola ad Patres et Fratres Societatis

1617.

Inv.
9216

19. IV. 49

EPISTOLA R. P. N. G. MVTII VITELLESCHI AD PATRES & Fratres Societatis.

QVemadmodum ex ea ipsa hora, qua Domino visum graue huius muneris onus, quod annum iam, eoq; amplius immeritus gero, imponere imbecillitati meæ, singulari in eiusdem oculis sensu Societatem vniuersam comprehensam in cor, atq; conclusam, quàm dulcissimè valui, Patresque meos omnes, & Fratres arctissimè sum amplexatus; ita præstitissem idem per literas sanè quam libentissimè coramq; adhuc, si licuisset, multo libentius. Verùm multitudo magnitudoque hactenus occupationum fructum hunc mihi abstulit suauissimæ iucunditatis. Nunc quoniam (si ita fas est dicere) induciarum nonnihil illæ tribuunt, & laxamenti, facere nulla ratione possum, quin omnes, in Dei caritate, amantissimè complectar, & consalutem; arreptaque opportunitate desideria communicem, quibus pro sua me clementia exstimulat Deus; vt recenti nimirum animorum ardore, amoreque in nostrum Ordi-

nem intimo, atque verissimo, cum Bernardo cla-
I Psal: 25. memus moribus magis, quàm vocibus: Domine dilexi decorem domus tuæ; magnanimoq; consilio quod in se est; vnusquisque det operam, vt castissimis eiusdem oculis non habentem, quoad licet, maculam neque rugam, minima hæc se exhibere Societas queat. Quamuis enim probe norim, quæ Dei est indulgentia, vigere in Societatis quasi corpore illum, quo initio animata est, etiam supernum spiritum; planèque perspiciam non superstitem modo, sed robustum esse præterea, & viuidum: tamen, quod quisque diligit, perfectum omnibus numeris optat, & absolutum; neque insignia tantummodo vitia satis habet, si detrahat, sed leues pro virili etiam næuos conatur abradere; neque in eo laborat vno, vt corpori vniuerso, seu vultui, partibusq; principibus cęteris faciat medicinam, sed omnes sedulo, diligenterq; quamuis ignobiles curat, vt, quod modo dicebam, existat neque maculam habens, neq; rugam; quo vno impellor ad hanc perscribendam epistolam desiderio. In qua, quod familiæ suæ inclytæ consimili

Epist: ad Prouinc. ae Refor. Frat. in loco scripsit Beatus Bonauentura, neq; propositum mihi est [noua statuere, nec vincula superinducere, nec onera grauia alligare, & imponere] verum, vt eiusdem pergam verbis vti, [caritatis

Epist. de vitäd. discursib. & vestræ zelum quantum possum excitare,] pauca de multis, decretis iam atque sancitis, ex quibus Societatis, ni fallor, salus, & incrementum pen-

det, ex-

det, exponere; deq; ijs omnes [ſollicitos reddere] *Ibid.*
quæ, ſi, quod Deus auertat, fortè negligerentur, *Ibid.*
breui, vt idem ait, [Sanctę Religionis ſplendorem
præfulgidum in pallorem degenerare, ſanctitatis
ſordeſcere pulchritudinem, bonæ opinionis odo-
rem computreſcere] cerneremus. Sanè vti Con-
ſtitutionum noſtrarum à maioribus obſeruata
[perfectio hactenus ſpectabiles, & amabiles nos *Ibid.*
mundo reddidit, omniq; fauore ac reuerentia di-
gnos] ita, ſi ab iiſdem deerraremus, non ingrati
tantum, & inutiles redderemur; ſed quæ ſunt Ge-
neralis eiuſdem ſanctiſsimi verba: [deſpicabiles
oneroſique, verteretúrque in ſcandalum, quod
cunctis eſſe debuerat in exemplum.]

Verum committendum nequaquam videtur,
vt intrò in domum pedem ante inferamus, quam
ſiſtamus tantiſper gradum; vnoque quaſi oculo-
rum flexu, externam, vt ita loquar, faciem perlu-
ſtremus. Bona nimirũ domus, vt hanc in rem a- *Lib. 2. de*
ptiſſimè Ambro. ex ipſo veſtibulo debet agnoſci. *virginib.*

Dolet ac queritur vulgo Societas de noſtra ſa-
nè quammultum imminutũ eſſe modeſtia. Opto
itaque vehementiſſimè, relegant omnes, perpen-
dantq; ſeriò, quæ Beato Fundatori tanti ſtetere,
modeſtiæ Regulas. Nemo rem hanc reponat in
minimis: fixum quinimmo apud omnes, conſti-
tutumque ſit eam noſtri, qui intus eſt hominis
ſpeciem ſæculares viros animo conformaturos,
quam exterius nobis impreſſam animaduertent.

Nimirum elinguis licet, & muta modestia, silentium, cuius meminit Nazianzenus, illud est sermone prestantius, atq; ad homines permouendos flectendosq; copiosa quauis disputatione longe valentius. Vsu quidem ipso compertum est, Fratrum nostrorum siue in gymnasiis, siue per compita conspecta modestia, ad Societatem bene multos animum adiecisse; atque ego profiteri de me sancte vereque possum, tantum ex eo me spectaculo, cum adhuc versarer in seculo, fructum capere solitum, vt cum Romanum Collegium concionis lectionisq; sacræ gratia è Professa domo vna omnes bini repeterent, eius frui conspectu pompæ enixè contenderem. In summa quod ait Hieronymus, licet sermone taceamus, habitu loquamur & gestu. Et quoniam optimam veluti matrem, Societatem ab omnibus vnicè diligi exploratum mihi, perspectumque est, nulla caput hoc inculcari ratione vehementius à me arbitror posse, quàm si monuero reputandum vnicuique animo esse, totam se Societatis existimationem, dignitatemque in ore, externaque conformatione corporis circumferre.

Orat. 12. siue 1. de pace.

Libro 2. contra Iouin.

Succedamus, vt ita loquar, nunc intrò in domum. Et vero ad interiora sarta tecta seruanda, ex quibus colorem speciemque ducunt externa, studiosissimè se nobis inprimis per sese commendant, quæ ad illam, quæ Deum inter, nosque intercedit consuetudinem pertinent vniuersa; pre-

cationeq;

cationeque continentur, excussione conscientiæ, piorum lectione librorum, Sacramentorum perceptione, Sacrificio Missæ (cuius lex ne dimidiata minus hora teneat, iam pene dilapsa eorum qui præsunt desidiam acriter reprehendit) crebro per ignita precum subinde iacula ad diuinę limen indulgentiæ perfugio, re sane extra modum pernecessaria iis, atque perutili, qui tam multis, ac nos occupationibus distrahuntur, & curis. Eam ob rem postrema hæc Generalis Congregatio quædā primo & vigesimo decreto huc spectantia propriè constituit; nosterq; magnus Pater ille Franciscus Borgia vsurpare consueuerat, spem sibi in Domino esse, tribus maxime rebus seruatam au-ctamque iri Societatem; orandi primum studio, tractationeque Sacramentorum; insectationibus deinde & tempestatibus; absoluta denique, numerisque expleta omnibus obedientia: suæque rationem sententiæ reddebat, quod Deo nos primum illud iungeret, necteretque à sæculi inanitate alterum, & amore diuelleret; cum ducibus tertium nostris, nobisq; inuicem compactos, coagmentatosque nos vna constringeret. Ad extremum pro harum exercitationum sanctarum modo procedent cætera, iisque languentibus flaccescant reliqua necesse erit. Egregiè Nazianzenus, eius quæ in contemplatione versatur, vitæ studiis, actuosæ negotia, quodam quasi annulo consignari, notaque alte impressa insigniri tradit. Con-

Orat: 21. seu de laudibus Athan. templatione, de Beato Athanasio agens inquit, vitam obsignans, siue vt habent Græca, sigillo vitæ vtens. Harum ope, & vi exercitationum recalescent in nobis perfectionis nostræ studia, per quæ primigenius Societatis ille spiritus reuirescet, quo eius olim instincta soboles sæculo, rebusque omnibus, quas in ipso, cumque ipso reliquerat, obliuione perpetua obrutis, vitam agebat; nulla consanguineorum planè recordatione, nisi eum, aut commendandi per preces Deo, aut piis tempestiuè monitis ad æternam iis vitam iter commostrandum foret; caducorum abiecta negotiorum procuratione, cognatorum augendæ rei, dignitatisque omni cura deposita. Quoniam autem vereor, ne caritatis specie, affectus hic animi sensim irrepat, per aspersionem sanguinis IESV Christi vniuersos obtestor, omnino apud se statuant, magnam hinc Societati cladem afferri posse. Quare pro mei ratione muneris, quàm possum grauiter moderatoribus, seuereq; denuncio, robustos hic sese maximè, fortesque præbeant; non consanguineorum postulationibus, non virorum commendationibus principum, non vllo deniq; impulsu dimoueri, adducique se sinant, vt suæ fidei concreditos, aut forenses moderandas controuersias, aut corrogandas præfecturas, aut concilianda coniugia patiantur in se recipere; nisi admodum fortè perrarò, re ipsa cogente, eaq; tum quàm caritatis ordo, proximorumque profe-

ctus

ctus exigit, temperatione. denique sibi persuadeant statum hinc Societatis atque existimationem magna ex parte pendere.

Hac in eadem orandi palæstra, ad solidas perfectasq; virtutes, quibus ex Constitutionum præscripto nihil nobis esse debet antiquius, capessendas condocefacti nanciscemur præterea neruos, ac vires; ad Obedientiam inprimis; qua de virtute sermonem instituere opus minime foret, quod maximè proprium sit Societatis insigne, tutumq; nauigium (ita Pater Borgia dictabat) quo Religiosi, procelloso hoc mari, ad tranquillum beatæ tendunt portum æternitatis, & nunquam seu somnum, seu quietem capiant, intermisso cursu, diu noctuque felicissimè prouehuntur. Satis est B. P. N. auream planè epistolam accurratè, considerateque perlegere, obfirmatoque ad illam re ipsa præstandam animo, summisse quæ iubentur, & alacriter exequi, nullis oblocutionibus, contumacia nulla, nullis prætensis excusationibus; nostri liberum in omnes partes arbitrium Prefectis permittere, paribus omnino ad omnia vniuerse, & munera, & loca momentis; quam certo ex loco munereve tranquillitatem, leuamenque nobis animo destinamus, à Deo nobis & præstolari, & certissimo polliceri; beata illa, Ezechieli olim visa, Cherubim æmulari, quibus extra senas alas, quæ mobilitatis ad cuncta obsequij officij, agilitatis, pernicitatisque nos admonent, quatuor inerant

rant præterea vultus, quibus ad quatuor pariter orbis terrarum plagas obuertebantur; atque ita non quo proprio ferebantur nutu, sed quo Dei agebantur spiritu peruolabant. Quin, quod insuper animaduertere nonnulli pedibus insistebant, alasque alio quasi iam commigraturi vibrabant: quo indicarent ad iussa peragenda diuina nunquam se promptos non esse, & expeditos; atque à Dei conspectu, consuetudineque, qua cum illo arctissima vtuntur, & perfamiliari, explicari perpetuo alas, cierique, vel ad cœlũ etiam ipsum parendi gratia, si res posceret, deserendum.

Libro 10. Conf: ca. 26. Præclarè Augustinus. [Optimus minister tuus est, Domine, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit; sed potius hoc velle, quod a te audierit.] Qui eiusmodi est, si quæ in contrariam forte partem occurrent momenta rationum non ita exponet, vt diuinam voluntatem Præsidum interpretatione euolutam suæ videatur velle subiungere; neque tantùmmodo Præfectum, siue etiam fortasse consilium, nequaquam damnatum volet, sed ex illius etiam sententia, atque iudicio formabit, & finget suum. Neque vero generalium quarundam facultatum, quoad fieri potest, extra non leuem necessitatem amore ducamur; minimarum potiùs etiam rerum causa, moderatoribus subijcere nos identidem gestiamus, in eius gratiam, [qui purpuram suæ diuinitatis cilicio nostræ mortalitatis operiens] quod

Serm. de S. And. tom. 2.

Beatus

Beatus ait Bernardus [factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, vt nos (quemadmodum alio idem loco habet) discentes verę humilitatis formam, castigemus corda nostra in obedientia caritatis.] Et sane vberibus dignissima lachrymis eorum esset cæcitas, atque calamitas, qui omnem in hoc genere attactum, morsiunculamq; defugerent; quodq; nonnullo temporis spacio certo in loco, munereuè versati sint, ius sibi quæsitum aliquod esse opinarentur; ex quo fieret, vt iussi à Præfecto decedere, rationem facti repeterent; absq; suæ id ignominię nota peragi non posse iactarent; denique in eiusmodi locorum, & munerum vicibus, legitimum quasi iudicium constitui deposcerent. Iam isto maximè omnium in genere robur ego animi, & firmitatem in Præfectis optârim; cuius præsidio, quàm à sancto Fundatore possessionem acceperunt, nostriq; illis retinuere maiores, in ea consisterent. Et vero quemadmodum ipsis, qua decet caritate agendum est, atque prudentia; ita in subiectis elimata, subtilisq; quædam Obedientia est exquirenda; ijsque in memoriam reuocandum hac se ratione germanam probaturos sobolem Societatis, quæ, quos reponit in suis, hoc educat cibo, ad iustamque perducit maturitatem. Rectè Cyrillus Obedientiam docet, & cibum à nobis appellari, & censeri debere. Vti enim corporis, absque cibo, ita sine obedi-

Serm. 2. S. Andr. tom. 1.

Libro 2. in Ioan.

entia spiritus vita traduci nequaquam potest. Claudam hoc caput suauissimo Ignatij magni dicto, qui in epistola quadam de ijs disputans, qui obedientiæ regendos sese permittunt, ad eam delabitur formam dicendi, vt asserat suum se cum eorum animis animum quàm promptissimè commutaturum. Ad extremum illud omnes memoria repetamus, mirifica hac esse vi sanctæ obedientiæ dexteram, & efficacitate, vt desiderij florem in fructum operis excoquat, piaque consilia dum interpellat, adduciq; ad exitum vetat, cumulata omni ex parte, plenaque reddat.

Epist: 11. ad Policarp.

Ex hoc eodem precationis fonte maior in dies existet sanctæ Paupertatis in nobis amor, blandior caritas, ampliorq; fiducia. Et verò, quoniã summus is sit oportet, atque dulcissimus, liberorum B. Pater amori iubet illum esse persimilem: quoniam autem in eius fide, atq; præsidio non tutis modò, sed etiam degere lætis licet, firmum Religionis murum appellat. Hæc nos vitæ commoditatum plus æquo nimiam solicitudinem dedocebit; quæ ne sensim influat, illabaturque subuereor, aditum pedetentim perq; rerum incrementa fallentia, pandente necessitate, æquitatis etiam cuiusdam fortasse probabili nomine, gratiq; post diuturnos in Societate labores animi significatione. De iusta mihi necessitate sermo neutiquam est: quæ cum premit, ne calicibus quidem parcendum, quo egentibus, si aliter nequeat, consulatur,

ſulatur, moderatores non ſugit: verùm, hanc ſi
vnam excipias, animum credite Patres, Fratreſq;
tantiſper intendere ſatis eſt. Breuis viæ, inquit
Ambroſius, non eſt magnum viaticum requiren-
dum. Sane magiſtra experientia conſtat, blandi-
menta iſta naturæ alia ex alijs necti; ſedatioreque
animo, minoreque longè lucta, omnibus planè
tibi interdices, quàm, vbi ſemel cupiditati indul-
ſeris, deinceps abſiſtas. Delectat me hic ſummo-
pere, quod ad illa Pſalmi verba, [oculi eius in pau- *Pſal: 10.*
perem reſpiciunt, palpebræ eius interrogant filios
hominum,] adnotauit ſolertiſſimè Nazianzenus:
[Oculi, inquit, eius in pauperem reſpiciunt, quod *Orat: 16.*
quidem palpebris melius eſt, atque præſtantius; *ſiue de*
palpebræ autem interrogant filios hominum, id *pauperũ*
eſt minor, vt ita dicam, & poſterior inſpectio.] *amore.*
Quod ſi vt hoc obiter animaduertam, qui opum
(nos in rem noſtram dicere poſſumus commodi-
tatum) amantes, præfidenteſque ijs ſunt filij ho-
minum à diuino ſpiritu compellantur, certò affir-
mare, tutoq; poſſumus eos, qui verè pauperes ſunt
nulliuſque rei, qualibet contenti, cupiditate tan-
guntur maximè propria quadam, priuataque ratio-
ne Dei filios eſſe: quo fit, vt hęreditatem extra De-
um omnem defugiant, pleniq; animi, ac ſpei de-
cantent: Dominus pars hęreditatis meæ, & calicis *Pſal: 15.*
mei; quicquid nimirum, aut in exſpectatione mihi
eſt, aut re ipſa conſequi valeo. Tu omnium mihi
vicem Domine imples, neque opportunitates vitæ
tantummo-

tantummodo, ſed delicias etiam repræſentas: in
quem ſenſum verba illa [calicis mei] Cardinal
Bellarminus interpretatur.

Hac eadem precationis, cæterarumq; piaru
exercitationũ in luce clareſcet noſtra in dies m
gis, nitebitque caſtimonia; cuius ſplendor niſi ca
didiſſimus ſit, atque integerrimus, pioq; auſu nit
ri pene decertet Angelico, oculos ad hæc perſtri
gat omnium, ſperandum non eſt, aut in diuina a
plificanda gloria, aut in iuuandis ope mortalibu
pro illorum votis, noſtrorum poſſe functione m
nerum promoueri.

Orat: 42. ſiue 2. in Ephes: 6. Quærit peracutè Nazianzenus, quid lumbis
veritate commune ſit, vt propterea Paulus dixe
[State ergo ſuccincti lumbos in veritate;] reſpo
detque contemplatione (rerum diuinarum, q
bus nihil verius) concupiſcentiam coërceri,
alio feratur. nimirum qui mentem, atque ocu
in cœli formoſitatem, ſyderumq; defigit lapidu
quod idem indicat, terræque amore duci neq
quam cor ſinet. Atque hic ego optarim, vt qui,
ſingulari Domini bonitate, præcipuus in Societ
filijs erga cæleſtem hanc virtutem viget animi ſ
ſus, excuteret eorundem de manibus, ſeu man
potius colligaret, ne genus neſcio quod libror
vel attingerent quidem, è quibus nunquam doc
næ tantum accedet, quantum vt caſtimoniæ de
dat in procliui eſt; vt eam ob cauſam ne domi q
part: 3. cap: 1. dem habendos Conſtitutiones noſtræ decerna

Ne

Ne nectar quidem, aut si quis adhuc præstabilior est liquor, reconditæ cuius cuius doctrinæ per fœdos adeo inquinatissimorum verborum canales colligendum esset. Memini me apud Hieronymum legere, magnum illum Iosephum, castum, purumque non minus, quàm cautum, & prouidum (& vero est illi tuendæ, hæc virtus pernecessaria) vbi pallium animaduertit à conscelerata illa fœmina contrectatum, ac si infami illa dextera infectum foret, eo actutum abiecto profugisse. [Pallium illud contactu impurissimæ manus contagione pestilenti contaminatum erat] & censebimus nostrum ab huiusmodi lue tutum cor esse, si oculos pestilentibus hisce chartis commodemus? [Calix *Hom: 2.*
aureus hæ sunt,] Origenes, inquit, sed qui veneno *in Hier.*
redundet; vt si forte te aurum illicit, magis multò virus absterreat, eò periculosius, quò tectius propinatum. Calix aureus Babylon. Babylonis hoc *Hier: 51.*
porro nomen efficit, vt minimè deinde mirum accidere debeat, si ab horum lectitatione librorum, qui Deum nonnihil verentur cæca ferè omnes, & obscura solicitudine suspensi recedant, verborũné, sensorumque, vasis veluti cuiusdam magnificentia duci se atque elegantia permiserint; an dulcicula tiam illa, qua quo nocentius fallat, obductũ est venenum, illecebra. [quo mihi verba, carminaq; quædam quasi vasa] vt loquitur Augustinus: [Electa, atque pretiosa, si vinum in eis propinatur erroris ?] summa, ad hunc incõparabilem seruandũ thesaurum

saurum intenta nostrorum fores, sensuum custo
dia muniamus, discrimina deuitemus, a propri
familiaritatibus nescio quibus, priuatisque iun
gendis amicitijs abhorreamus; reuocemusq
De virg. quod mirificè adnotauit Basilius in memoriam
ijs ipsis, qui animi, vitæq; candore, præstantia vi
tutum, cœlestis consuetudinis excelsitate id el
gij promerentur, Dij estis; siue ad comminati
nem, siue ad imbecillitatis humanæ, miseriæq
Psal: 81. recordationem mox succini. Vos autem sic
homines moriemini.

Isto ipso orationis in lumine spirabit flag
bitque perpetuò Caritas; omnesque proinde p
æque homines, nationesque collatata circump
ctetur. Equidem facere minimè possum, Patr
Fratresq; optatissimi, quin profitear me cum a
pellationem istam externorum in Societate au
planè exhorrescere: sed fortissimam mihi cu
ditatem inijcit Deus; spemq; firmissimam a
ctus huiusmodi, vocesque stirpitus conuellen
& verò prouincijs, atque nationibus add
consecratiq; isti spiritus, sanctæ huius Societa
cuius vnus est eritque spiritus, spiritus IES
coniunctionis nimirum, caritatis atque conc
diæ, dulcissimum mare influentes, æquum fa
fuerat, vt obliterato etiam nomine interire
Quod si quis oculorum Societatis isti pupillæ,
ue huiusce bene adeo constituti, compacti
corporis cordi qualibet incommodare ratione

nare

naretur, næ is à moderatoribus acerrimè plectendus foret, peſtiſque habendus in loco: in qua tractanda vti clementer agere, atque humaniter immanitatis eſt ſummæ: ita ſeuerè, atque vt ita loquar, crudeliter ſe gerere pietatis eſt maximæ, atque veriſsimæ. Hæc efficiet coniunctio, vt noſtro ingenti bono, & approbatione mortalium, non minus Fratrum, Prouinciarumque omnium lætis euentibus, quàm noſtris, noſtræuè Prouinciæ triumphemus. Incremento diteſcunt proprio, rectè inquit Leo, qui profectu lætantur alieno. Recidendi igitur continenter affectus ſunt quidam animi, quos iſto in genere vetus in nobis homo progignit. Non ex elementis vnquam argentum, aurum, gemmæ, aliaque peregregia permulta admixtionem habentia corpora exiſterent, niſi longiſsime licet inter ſe diſsita, dum ſibi mutuo pene concedunt, è pluribus vnam naturis inita conſpiratione conflarent. Eadem ergo & nos ipſi ratione, quanquam erga res noſtræ, ſiue Prouinciæ, ſiue regionis, voluntatis propendeamus inclinatione, exiguum quiddam concedamus, vt in hanc rem Nazianzen: ait, vt quod maius eſt recipiamus, cõiunctionis huiuſce ſtabilitaté ſcilicet concordiæq; incrementũ cedamus vt ſuperemus. *Orat: 14. ſiue 3. de pace.*

Enimverò hæc plane virtus eſt, quæ nos victores & inexpugnabiles quidem reddit, vt idcirco Bernar. ſiue quis alius adnotet ſancto Spiritu Eccleſiam, omnemque famulorum Dei cœtum cum *Ser: 41. de modo bene viuendi.*

acie

acie castrorum ordinata conferri. [Nam sicut hostes, inquit, timent quando acies castrorum bene ordinatas ad bellum vident; ita mundus, ita Diabolus expauescit, quando spirituales viros virtutum armis accinctos in vnitate concordiæ viuere conspicit.] Neque solum quouis hæc in discrimine fortitudine admirabili quadam nos obarmat, perficitque vt securo tantummodo atque tranquillo, sed vt alacri etiam, erectoque animo depugnemus. Legimus in sacris literis: [Et adiuuabant Iudam omnes fratres eius, & vniuersi qui se coniunxerant patri eius] subijciuntur mox illa: & præliabantur prælium eius cum lætitia. quamuis & præstantissimi robore hostes, & multitudine innumerabiles pene essent. Animorum inter nos, in Domino, coniunctio sit, & consociatio, idem sapiamus, idem dicamus omnes; neq; nos admodum sollicitos habeant, quę mundus in nos iactat, & commolitur. De iis, quæ ad nostram pertinent perfectionem, omniumque consecutionem virtutum, ad quas precationis, vti memorabam, palęstra nos erudit hæc dicta sint satis.

1. Mach. 3.

Eandem inter precationem piis exercitationibus cæteris consociatam animorum salutis zelus exardescet, qui otij nos, & lentitudinis in suscipiendis eorum causa laboribus horrore perfundet; ad missiones, proprium adeo Societatis munus, omnium adeo votis exoptatum, probatum sententiis, ad opem non pecuniosis modo & illustrib

lustribus, sed pauperibus etiam atque humilibus ferendam suaui quadam nos vi rapi sentiemus; neque si pluribus pares sint vires, vnica iis functione prodesse satis habebimus. Et sanè dedecoris plena res esset, si ex Societate aliquis (soboles tandem Patrum, quibus Deo mundos ipsos totos lucrari perparum videbatur) satis sibi faceret, multumque sane præstare se duceret, dum Collegio, Domoué in aliqua non incommodè degit, piisque triginta plus minus mulierculis bis, terué per hebdomadam confitentibus aures præbet. Expendat igitur per Domini caritatem, vnusquisq; in eiusdem oculis perdiligenter, num cui præterea labori par sit, remque præsidi totam candidè exponat; legitimum orationis ope comparare gustatum studeat, qui omnium sapore capiatur animorum, neque, dum IESV sanguine respersi sint, quid insuper quærat. Quod si Concionator fuerit, illustria, media, obscura sint suggesta ne curet; neque frequentissimis tantummodo in vrbibus, atque celeberrimis ad amplissimos, ornatissimosque conuentus, nobiles maximè conciones admittat; vulgares modicis in oppidis variis congestis declinet excusationibus, germanamq; imperij detrectationé fucata apud moderatores necessitate prætendat immemor Deũ non irrideri Deoq; (vt hominé deludas) minime imponi.

Eodem orationis in lumine quàm abiecta, despicata, amore, votisque nostris indigna plane

sint, quæ extra Deum sunt vniuersa perspiciemus: Ioannisq; Baptistæ exemplo, qui, vt ait Hieronymus, oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere, diuinæ gloriæ, perfectionis nostræ, proximorum salutis sincerissimis corda studijs cumulati, consilia, respectus, curas, terrenarum rerum cupiditates pectoribus nostris excipere, aut aditum ijs patefacere dedignabimur. Et vero an non probrum esset intolerabile, si qui ex Dei caritate sæculo, sibique nuncium ipsi remisit, vnius exinde cathedræ, suggesti vnius, loci huius, illius muneris ambitione duceretur? auertat diuina clementia, vt in Societatis filios acerrima illa, iustissimaque apte cadat obiurgatio [Filij hominum. &c.] Hebræa habent; [Filij viri, gloriosi mei, seu gloria mea vsquequo ad ignominiam?] Filij amantissimi, tanto, atq; Beatus Ignatius fuit, parente progeniti (eo scilicet viro, in quem spiritum omnino masculum, virilemq; tanta Deus vbertate profudit) quibus (quanquam summa animi demissione debetis, & verecundia, liquidaque, quam nihil vobis ex vobis sit, vestri perspicientia) ad omnem tamen fas est veritatem, promptamq; grati erga Domini indulgentiam animi contestationem profiteri, Maiestati diuinæ visum hac vos nobili appellatione, gloriosi mei, seu gloria mea, condecorare: Ergo vos Deus compellat: filij viri, &c. vsquequo ad ignominiam, dum extra Deũ aliqua deperitis; si quæ vestrorum consiliorum infringi,

Epist: 4. ad Rusticum.

Psal: 4.

infringi, interpellariue contigerit, animo discruciamini; cùm tamen illa, nisi in Domini gloriam, opemque ferantur animorum, abiecta sanè quàm esse necesse sit, vestrique similibus probrosa, atque indecora? Subiicit actutum Propheta Selà illud, quod interiectionem, vt Latini vocant, quandam esse nonnullis placet, quæ ad ingentem aliquam significandam, qua obstupescimus, admirationem vsurpetur: ac si diceret, fieri ne vnquam potest, vt parentis tanti liberi, tam à Deo dulciter, magnificeque habiti, præclarissimis destinati, honestissimisque prouinciis, tanti adeò vilia, & abiecta ducant, tam intimis angantur eorum causa sensibus, atque dispereant?

Hinc illud præterea commodi consequetur, vt clientelas, commendationes, gratias, seu domi, seu foris nemo colligat, quò altius, vt mos est loqui, efferatur. Et vero hic ego ætate prouectos, grauesq; auctoritate Patres omnes, Consultores, Præceptoresque, per Domini caritatem, studiumque, quo in secundum Societatis nostræ cursum feruntur, omni contentione, atque opera obtestor, intendãt seriò oculos, perpendantque, quàm illi, & impensè obesse, & prodesse insigniter possint: non se cęteris propensionibus ferri sinant, neque ad beneuolentiam priuatim designent, qui cubicula frequentius terunt, laudibus liberalius onerant, ampliorem fiduciam ostentant (nollem vti hac voce, quæ mihi Religioso statu nimium

quantum videtur indigna, atque execranda) qui se aptos, & obnoxios ex ijs pendere omnium maxime preseferunt. Adijciant potius sincere oculos ad virtutem, deinde dotes, quas dispertijt singulis Deus; omnes, qua consilio, qua exemplo iuuent; ad sanctam Obedientiam in primis, ad parem in omnia animi nutum, ad se moderatoribus permittendos, Deiq; arbitrium ex eorum petendum oraculo; sibique persuadeant, neque Deo se, Beatoque Ignatio gratum quid, & iucundum magis patrare, neque maioris momenti officium Societati posse persoluere; cui vberrima sane in cælo præmia, coronæque respondebunt amplissimæ, quæ, vt probe noui, est ipsis, Dei munere, summa votorum. Ita feram illam, immanemq; belluam, quam Politicam appellamus, domo exterminabimus; quæ, vocibus quidem omnium proripere se iubentium, clamoribusque configitur, nostras tamen in insidijs obsidet perpetuo fores; atque vtinam ne ad nostram interdum perniciem etiam irrumpat. æquum tamen, verumq; est Religiosa submissione adolescentes, atque simplicitate colere, qua decet, obseruantia Patres, qui suos in Ordinis obsequium annos contriuerunt; quo in genere nonnihil aliquanto ab hinc tempore iuniores peccare inficiari non possumus. Denique, vt caput hoc claudam, quod pluribus, quam destinaram, sum executus, quemadmodum sancti dulcissimo huic, vastoq; precationis com-

mittente

mittentes se mari; pretiosissimas sensorum, virtutumq; indepti cælestium, expiscatiq; sunt margaritas, vt consimili in re Chrysostom. fere habet, *Lib: 2. de orando Deo.*
quibus cum se, tum nos locupletarent, exornarentque; ita vsu nobis veniet, vt quicquid nostram in perfectionem, aliorumue salutem est opus in eodem deprehendamus. Haud scio, an tribus significantius verbis efferri omnia possent, quàm ijs, quibus totam hanc rem complexus est Nazianz. [per eam, inquit, (sacram nimirum quam contemplatione delibamus doctrinam) Deus sincere percipitur, & conseruatur, atq; in nobis adolescit] nocentibus herbis, dumisq; omnibus deniq; euulsis, quæ, ne vera Christus vitis nostris in cordibus comprehendat, pubescat, fructuosa sit, queunt officere. *Orat: 12. siue 1. de pace.*
Hæc porrò ipsa precatio depascitur, eamque ob causam [Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in omni tempore] Dauid aiebat. *Psal: 118.*
Legunt nonnulli amputationes, seu falces; & exploratissima sanè res est diuina mandata, si accurata commentatione exterantur, falces quasi quasdam esse, quæ demetant, assiduam Christi verborum, gestorumq; meditationem continentem putationem quandam esse, quæ nostrarum sarmenta, surculosque exscindat inutiles perturbationum, quæ huius in eremo vitæ, in qua peregrinamur, adeò valide, tamque vberi prouentu succrescunt.

Ad extremum peruelim, vt parum propensas

in nos hominum voluntates, querelasque, quibus nos exagitant, toto pectore retractemus. Quamquam enim noui permultas in totum falsas esse, alias mirum in modum auctas, atque exaggeratas; proderit tamen summopere non ita nobis nos assentari, vt inducamus in animum ne à nemine quidem è nostris vno, saltem interdum, ansam aliquam, occasionemque præberi; quandoquidem proprio Societatis infortunio, seu potius priuata quadam, insignique felicitate, singulorum dicta, vel facta omnibus tribuuntur; vt iam non Petrum, seu Paulum, sed hosce in vniuersum homines eiusmodi esse circumferatur. Verum, vt vt se res habeat, demus rumores istos, atque obtrectationes nullo veritatis fundamento niti, nulla culpa nostrorum; quid tandem obesse nobis queat, si materiam illis omnem, atq; occasionem præripere totis viribus contendamus? facilè id autem Deo iuuante, consequemur, si, vt cautius agamus, in aduersa tendamus, & planè contraria.

Querimoniæ porrò communiores ad hæc capita reuocantur: superbos nos esse; huc nos tendere, vt omnia per nos administrentur, ex nobis pendeant vniuersa; de nostra nos sapientia, amplè, magnificeque sentire, cæteros parui facere; modico in pretio habere. Hoc primum est caput. Alterum est, vitæ commoditates nos impense sectari. Tertium, cupidos nos esse, & quærere quæ nostra sunt. Quartum denique, prudentes nos

homines esse magis, & politicos, quàm solidè spirituales. Iam in hæc, oro, capita mentem, animumque figamus, tutoque Regularum nostrarum ductu, vti aiebam, in aduersa tendamus, atque contraria. Curemus, omnes vulgò planè peruideant, nullius nos alterius rei, quàm nouissimi loci ambitione teneri; vtque tempore sumus, ac nomine postremi, minimique (nimirum nostis Societatem ab ijs, qui eam constituerunt Patribus minimam appellatam) ita nequaquam quæsitæ, sed germanæ, veræque demissionis laude, vt omnium maximi, & principes simus, enitamur. [Nihil est, inquit Hieronymus, quod nos ita, & hominibus gratos, & Deo faciat, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus.] Ne commoueamur si contemptim, si minus honorificè, si minori in pretio habiti nobis videbimur, sed patienter silentio feramus; animorum potius lucris, quàm plausibus nescio quibus mortalium oblectemur: ne in aulas nos inferamus; ad spiritualem pauperum opem toto pectore incumbamus: Episcopis, eorundem Vicarijs, ijs qui præsunt omnibus, vnicum illud in hoc genere B. Xauerij exemplar perpetuo contuentes, intimam ex animo submissionem, atque obseruantiam deferamus. Ne vmbram quidem nostra, seu dicta, seu facta præferant, vnde oboriri suspicio queat audere nos cum ijs penè ex æquo contendere, nihil non velle peruincere: ne alienis nos rebus immi-

Epist. 14. ad Celantiam.

sceamus: neque quid agatur in alia, quod sapienter monet Hieron: domus alia per te nouerit:] de omnibus, religiosis præcipue, vt par est, honorifice, atque officiose loquamur: statimque haud amplius vulgo nos censeri superbos deprehendetis. Eadem ratione si in vitæ commoditatibus procurandis minus seduli erimus; si in itineribus, missionibus, xenodochijs, ergastulisque lustrandis, diu, noctuque ad pie mortem obeundam iuuandis pauperibus nonnulla sciemus, statuemusque perferre; si in corporis cultu, atque vestitu pauperes, & esse, & videri gestiemus, neque vestibus erubescemus detritis, & consarcinatis vti, nouas remissionum, atque oblectationum animi formas minime excogitabimus, externorum mésas, optimatum in primis refugiemus, neque tam ijs nos oblectari, quam fatigari significabimus, quæ erat altera querela conticescet, omnesque factum sibi satis per nos esse fatebuntur. Ad hæc si à litibus abhorrebimus, rationem agendi veritatis, & fidei plenam, ab artificio nescio quo, & aucupibus puram sequemur; pacta, promissa ad amussim sancte seruabimus; testamentis condendis interesse ex regularum nostrarum præscripto recusabimus, quod tantopere suis etiam fratribus inculcat B. Bonauent: denique si nos ita geremus, vt omnes perspiciant, hominum animos, non marsupia nos quærere, neque id agere, vt ista nobis, verum vt illos Deo lucremur, quis nos insi-

Epist. 2. ad Nepot.

mulare valeat auiditatis? hic verò quam maxime possum moderatores oro, quæsoque, Procuratoribus, Confessarijs, Ecclesiarum præfectis, eleemosynarum conquisitoribus, omnibus denique inuigilent, vt moderatione, quæ sane est pernecessaria, vtantur, certi non vnquam alios nobis commonstratoribus cursum ad cælum instituturos, si nos terrenis rebus affixos adhærescere animaduertent.

Ad extremum si opportune complures ad exercitia spiritualia peragenda perliciemus, inter quæ germanam spiritus Societatis speciem sæculares mente concipiunt; si de piis rebus sermones cum omnibus miscebimus, ad vitam melius instituendam proximos cohortabimur, Patris Borgiæ, sanctæ memoriæ, conquestio illa cessabit. [Quam multi veniūt ad nos, vt fiant ditiores; quā pauci, vt fiant meliores?] Hoc porro caput, in quo nōnulla, quæ ad linguā pertinent, perstringere necesse habeo, gaudeo in postremum hunc locum cecidisse, quod cupiam omnibus, quæ hactenus recensui, altius ista cunctorum cordibus imprimi sempiternis notis. Ne quæso nobis Patres, Fratresque blandiamur; non pauci hoc in genere valido fræno egent; nemini parcunt; nimia agunt libertate, & licentia, non sine graui caritatis, iustitiæque interdum iniuria; dum aliena, seu dicta, seu facta, nunc amplificata augent,

modo vltro, citroque renunciant, nunc in deteriorem partem accipiunt; ad motus animi, atque consilia Deo reseruata diiudicanda progrediuntur; haud scio an dicendum sit, res neque gestas vnquam, neque per somnium quidem oblatas comminiscuntur, & iactant. Equidem mihi persuadeo consulto, & dedita opera non delinqui, quòd sciam quantus Dei timor ipso adiutore in Societate vigeat; verùm affirmo inconsiderantiam, indiligentiam, lubricitatem hac in re malum esse longè grauissimum; atque vtinam interdum diuina maiestas nihilo magis, quàm leuiter lædatur, eoque periculosius, quo minus inde conscientia onerari alicui fortasse videbitur.

Ego verò, quoniam exonerare meam statui, mihique persuasum est innumera hinc nobis bona intercludi, atque ex hoc fonte in primis, & vniuerse deriuari mala, quæ æquissimo Domini iudicio toleramus, ex intimis cordis mei visceribus omnes obtestor, examen, quod vocamus particulare, quàm accuratum per hosce dies in hoc vitium instituant; quandoquidem latius quàm opus esset illud serpere per Societatem deploramus omnes, fatemurque, venenosæ huius, atque execrabilis plantæ fibris euulsis, terrestrem quandam paradisum illam futuram. Remedio porro vtantur, quod in Domini nomine cunctis porrigo, omnique, quæ ex remissa linguæ custodia nobis impendent mala stirpitus eradicabit. Neque

vero

vero aliud illud est, quàm vt omni ope, atque opera pios inter nos, cumque externis sermones instituere consuescamus. Quanta hinc, Patres, Fratresque nobis bona prouenient? Ita res domesticas, non optimi interdum exempli, sæcularibus nequaquam indicabimus, magno ipsorum detrimento, nostræque existimationis maiore iactura; ita rerum dictarum, gestarumque nunciis aliorum aures non opplebimus; neque pro nugarum, rumorumque, qui falsi, inepti, vanique deprehendantur auctoribus vnquam habebimur: ita nemini occasionem afferemus, vt prædicet, cum de rebus pijs colloqui animus tulerit, ad aliorum se religiosorum fores, non ad nostras accedere. Ita denique nemo sæcularium obseruabit, vsurpabitque, haud amplius in nobis vigere priscum illum primorum Patrum spiritum, qui cum prinpibus viris, planeque omnibus non nisi de Deo, atque æterna salute sermones serere nouerant, eaque ratione pro arbitratu cuncta conficiebant. O si renouatam hoc in genere Societatem daretur intueri? omni tunc sane animi ardore inclamarem. [Nunc dimittis. &c.] Incumbamus, per Dei caritatem, curemusque, vt longe alij hac ex parte euadamus; hanc in rem studium præcipue nostrum conferamus per hos dies, quibus pro opportunitate, rationeque à moderatoribus præscribenda secedere cuncti debebunt, quo ingenti hoc Iubilæi thesauro fruantur, quod ex occasione

casione noui muneris, quod mihi demandare est Deo visum, atque insectationum, quas pro ipsius gloria Societas, & Ecclesia vniuersa in Iaponia præsertim, vti inaudistis, tolerat, ex Patrum Assistentium deliberatione, atque sententia à Sanctissimo D. N. humiliter petij, singularique ille benignitate, qua Societatem perpetuo protegit, est impertitus. Felicem Iaponiæ statum, Indiarumque omnium, precibus vniuersorum commendo Dominum obsecrans, vt in multorum è Societate animis flagrantissima studia inflammet ad immanem illam sterilitatem sudoribus, vel etiam sanguine ipso irrigandam se conferendi. Hac in re, per Dei amorem, moderatores præsertim adiutores se præbeant, & administros: atque in subiectis vocationes eiusmodi, & conspicere, & incendere gaudeant. Neque suarum prouinciarum caritate trahi se sinant, ne optimis operarijs destituantur; sed Deo fidant fore, vt si ad ipsius gloriam per multas, egregiasque operas liberaliter in Indiam submittant, Europeas ipsorum prouincias, & numero virorum, & conditione Dominus locupletet. Et sane dolerem vehementer, haberemq;, quod iure reprehenderem, si quis, moderatorum præcipue, pro eo ac me iuuare debuerat, frigidum sese præstaret, vel etiam obesset, minime reputans ardores istos à Domino excitari non ad egentissimarum illarum prouinciarum necessitatibus tantummodo consulendum, sed

dum, ſed in Europæarum etiam ſummam vtilitatem: in quibus experientia plane teſtatur, quam eiuſmodi vocationum, itinerumque præſidijs germanus Societatis ſpiritus ſeruetur, & floreat. Omnium me precibus, vt tandem finem imponam, & ſacrificijs, tanquam omnium maxime indignum, ex animo, & omni humilitate commendo.

Romæ 2. Ianuarij 1617.

Omnium ſeruus in Chriſto

Mutius Vitelleſcus.